



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Sincera Decreta collegit Dionysij, dono sibi ab Hadriano data, varia capita in Capitularium libros Carolus M. transcripsit. Et decretis parendum sancivit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

erant, quod non impetu quodam cæco, & nulla habita cum Concilio colloctione, sed rebus diligenti & sollicito examine in Concilio Romanæ Diceceſeos diſcuſſis, ferrentur. Quod Leo docuit in epiftola Decretali: *Quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri ut in Eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores; cum coram beatiſſimo Petro Apoſtolo id ſemper in commune tractandum ſit, ut omnia ipſius Conſtituta canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* Etſi enim ſolius Romani Pontificis nomen præferrent, non inde ſequitur nullos adhibitos fuiſſe in conſilium Episcopos. Sed dignitati ſedis id collatum fuit, quia apud eam erat τὸ κέντρον rerum agendarum, ut proſtetur Iulius, & Synodus Romana ſub Felice, iis locis qui à me relati ſunt capite v. 1. §. 2. & 3.

IV. Sincera Summorum Pontificum Decreta in unum corpus redegit Dionyſius Exiguus Abbas, qui ante annum quingentimum floruit, eaque Canonum Collectioni adjunxit. Auſpicatur Collectionem à Siricio, ad Hormiſdam; quæ ducentis & quinque articulis continetur: quibus deinde addita fuerunt Gregorij II. conſtituta, decem & ſeptem capitibus comprehenſa. Hoc Canonum & Decretorum Corpus apud omnes Occidentis provincias vim legis obtinuit, ſtatim atque à Dionyſio editum fuit. De Africa abundè teſtabitur Creſconius Africanus, qui in ſuo Canonum Breviario per Titulos digeſto, Romanorum Pontificum à Siricio ad Gelafium Decreta laudat, diſtincta iſdem numeris qui habentur apud Dionyſium. Quo autem cultu exciperentur ab Episcopis Gallicanis docet Concilium Turonenſe II. anno D L X V I I. habitum, quod de virginibus caſtitatem profeſſis juxta Paulum & ſententiam Innocentij Papæ decernit. qua relata, addit: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à ſede apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat. Infrà: Quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos ſedes apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit, & patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.* Hunc Codicem Canonum, (qui Moguntia excuſus eſt anno M D X X V. deinde Pariſiis anno M D C I X.) ut in Occidentalibus Eccleſiis diſciplina canonica reſtitueretur, Hadrianus I. Carolo Magno Regi dono dedit circa annum D C C L X X V I I. Id enim declarant plura quæ, teſte V. Cl. R. P. Sirmondo, in Bibliothecis Gallia viſuntur Collectionis hujus exemplaria: quorum in fronte, velut oblatimuneris dedicatio, præfixa eſt

Hadriani ad Carolum epiftola, quæ primis ſingulorum verſuum literis hunc titulum reddit, *Domino Excell. Filio Carolo Regi Hadrianus Papa.* Vnde ſtatim occaſionem arripuit Carolus Episcopus admonendi E-dicto ſuo, ut Canonum & Decretorum executioni invigilarent: atque adeo ipſa Decretorum capita, quæ pro temporis ratione neceſſaria videbantur, in Capitulare Aquigranenſe datum anno D C C L X X I X. ex hoc Codice tranſcripſit. Quinimo ut palam faceret quo in loco haberentur illa Decreta, capite L V I I I. docuit: *Si quis Sacerdotum contra Conſtituta Decretalia præſumptioſè agat, & corrigi nolens, ab officio ſuo ſubmoveatur.* Quod in Capitularium libros ab Anfegifo relatum eſt. Ut autem apertius ſententiam ſuam promeret, Conſtitutorum apoſtolice ſedis reverentiam faciendam putavit lege quidem ſua, ſed iſdem verbis quæ in Capitulis ab Hadriano Pontifice Angilramno Episcopo Merenſi datis continebantur: *Conſtitutiones contra Canones & Decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti.*

Non eandem verò apud Gallos vim obtinuerunt Decretales illæ epiftolæ quæ antiquorum Pontificum Clementis & ceterorum nomine uſque ad Siricium circumferuntur, quas Iſidori Collectio eſt complexa: de quibus inter Nicolaum primum & Hincmarum non levis controverſia mota eſt, de qua dicitur uberiùs libro I I I.

V. Porro cum Hincmarus de epiftolarum illarum Decretalium viribus diſputaret, non ea fuit Gallorum ſententia quin Pontificibus Romanis liberum eſſet, quemadmodum & eorum deceſſoribus fuerat olim, Decreta condere ad ſancendam diſciplinam, cum bono publico id profuturum exiſtimarent. Quod illuſtriori teſtimonio comprobare non poſſum quàm eo canone qui decretus fuit à plenario totius Gallia Concilio, id eſt, ab Episcopis & Proceribus regni à Carolo Calvo Rege Pontigone coactis, ubi inter ceteros aderat Hincmarus Remenſis anno D C C C L X X V I. *Ut honor domno & ſpiritali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici, & venerabili Vniverſali Papæ, ab omnibus conſervetur; & quæ ſecundum ſacrum ſuum miniſterium auctoritate apoſtolice decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conſervetur.*

VI. Quam Decretis generalibus ſedis apoſtolice Francorum Reges, quos ſecundæ Dynaſtiæ Principes vocamus, reverentiam detulerunt, eandem in poſteros Hugonis

Leo in Decret. c. 11.

Creſconius in Breviario Canon.

Conc. Turon. II. can. 10.

Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ.

V. Cl. Jacob. Sirm. Tom. II. Conc. Gall. ad annum 787.

Capitulum l. 920. c. 11.

Capit. lib. 1. c. 11.

Capitulum lib. 1. c. 101.

Conc. Pontif. can. 1.